

post primum consensum liberum, sive in ipsa perseverantia; ergo non potest esse gratia distincta ab excitante et adjuvante, ut etiam satis constat. Licet hæc divisio trimembris videatur nihil addere priori divisioni auxilii in excitans et adjuvans, ideoque nihil obstare quominus illa divisio adæquata sit, obiter tamen notari potest differentia inter illa membra: nam in ordine gratiarum prævenientium, dari potest aliqua quæ sit pure præveniens, quia in omni ordine prioris et posterioris pervenitur ad primum, et proportionali modo potest dari gratia pure subsequens, quia potest dari ultima: comitans autem semper potest alios respectus participare, quia vel est subsequens respectu prævenientis, vel potest esse præveniens respectu posterioris gratiæ, quamvis respectu cooperationis liberi arbitrii sit pure comitans, ut jam explicatum est, et in sequenti capite latius dicetur. Adverto etiam non omnem gratiam quæ post aliam datur, dici proprie subsequentem, sed illam quæ aliquo modo ratione prioris datur: nam si nullo modo sit ab illa, vel ratione illius, non dicitur proprie subsequens, nisi forte in ratione temporis, quod est accidentarium, et non consideratur.

9. *Sequitur secundo dari illam in justis, et peccatoribus.* — Præterea, ex dictis inferri potest gratiam subsequentem non dari tantum in hominibus justis, sed etiam in peccatoribus, imo etiam in infidelibus, si ad fidem jam vocati sunt, vel aliquo modo præventi, et cooperari incipiunt; patet facile ex dictis, quia peccator per fidem potest impetrare auxilium ad poenitentiam, petendo et eleemosynas faciendo, ut Scriptura docet; ergo si tale auxilium impetrat, habet respectu fidei veram rationem gratiæ subsequentis. Et eadem ratio locum habet in homine vocato ad fidem, nondum plane converso; nam ex præveniente gratia quam recipit, potest concipere aliquod bonum desiderium, quo paulatim disponatur; posterius ergo auxilium, quod illi homini datur intuitu dispositionis ejus, est revera gratia subsequens. Quin potius, ut dixi, ipsa gratia cooperans, quæ his hominibus datur, ut se remote disponant ad gratiam, potest dici subsequens respectu excitantis, quæ præcessit; non est ergo gratia subsequens propria justorum. Quod si interdum Augustinus vel Fulgentius, locis citatis, eam specialiter justis attribuerent videntur, non ideo est quia aliis nullo modo communicetur, sed id faciunt ad explicandam justitiam semel comparatam, et auxilia quæ dantur ad illam obtinendam, non sufficere

ad salutem, sed etiam ipsos justos indigere gratiis subsequentibus. Unde non negant, imo a fortiori docent eisdem auxiliis indigere peccatores, quamvis non sint illis ita debita, sicut justis. Et ideo forte etiam innuere voluerunt esse in justis majorem quamdam rationem, ob quam auxilia quæ illis dantur sint subsequentia, quia vel sunt debita, tanquam connaturalia gratiæ habituali, vel etiam quia justipossunt multa auxilia de condigno mereri.

10. *Tertio, non datur ad solam perseverantiam, sed ad quemcumque actum bonum.* — Secundo, sequitur ex dictis subsequentem gratiam non tantum dari ad perseverandum, sed etiam ad quemcumque progressum faciendum in gratia quocumque modo inchoata. Hæc sequitur aperte ex præcedenti, quia ut fidelis peccator ad justitiam ulterius progrediatur et se disponat, novo gratiæ auxilio indiget, quod respectu fidei subsequens est, et idem est de similibus. Et eadem vel majori ratione non datur gratia subsequens tantum ad actus externos, seu ad executionem boni propositi, sed etiam ad interiores actus, et ad ipsum bonum propositum concipiendum. Probatur inductione facta, nam peccator, ut concipiat propositum poenitentiae, et se disponat, recipit gratiam subsequentem ad fidem, vel timorem. Et ita Trident., sess. 6, cap. 7, describens seriem et ordinem justificationis, varios numeros actus, quorum unus prior est alio, et ad singulos requiritur auxilium gratiæ, ut constat, et ideo auxilium datum ad posteriorem actum subsequens esse potest respectu actus præcedentis. Ratio vero est, quia hæc auxilia sunt vel excitantia, vel adjuvantia, quæ recipiunt illas denominationes, quoties dantur ratione prioris gratiæ, vel intuitu alicujus boni operis præcedentis.

11. *An gratia subsequens aliquid addat supra excitantem.* — Sed dicunt aliqui, præter auxilia quæ dantur ad bonum incipiendum, necessarium esse ut Deus etiam exterius, ad executionem propositi, et consequenter ad opus externum, præbeat occasionem opportunam ad bene operandum, et præterea ut auferat omnia impedimenta: nam hæc merito inter gratias computantur. Ergo recte dicitur gratiam subsequentem addere hujusmodi bona ultra gratiam excitantem et adjuvantem. Respondetur imprimis hoc nihil obstare, quia loquimur de gratia interna, ut in conclusione dixi: illæ autem gratiæ externæ sunt. Deinde dico, etiam ad illas gratias externas posse et debere doctrinam datam applicari, quia præ-

paratio opportunæ occasionis ad bene operandum, licet sit gratia subsequens respectu præcedentis propositi, tamen, respectu operis ad quod datur, revera est gratia præveniens, quia a Deo fit sine nobis. Quo modo recte intelligitur illud Prov. 16: *Homini est præparare animam, Dei autem gubernare linguam*, nam illam directio et gubernatio linguæ, respectu præparationis est subsequens, et respectu locutionis est prævia, quia est solius Dei, ut in eisdem verbis plane indicatur. Unde talis gratia poterit esse excitans eo modo quo per externa verba homo excitatur. Ac denique si homo tunc operetur, etiam potest dici gratia adjuvans, quia non parum juvat, vel carere impedimentis ex pravis occasionibus, vel bonas habere. Igitur quoad gratias externas nulla est hic differentia. Addo denique has gratias externas etiam ad concipiendum primum bonum propositum dari posse, et requiri, quia etiam congrua occasio exterior et ablatio impedimenti multum conferre possunt ad bonum propositum concipiendum. Ideoque opportunæ occasio audiendi verbum Dei, præveniens gratia est, et ad excitantem pertinet, et ablatio impedimenti, quod posset idem propositum impedire, gratia est, quæ tale propositum comitatur ut fiat; ergo non est cur inter conceptionem vel executionem boni propositi discrimen ullum constituamus.

12. *An hæc nomina gratiæ habituali accommodentur.* — Tandem dixi in assertionem: *Si loquamur de gratiis actualibus*, quia D. Thomas, in dicto art. 3, etiam accommodat has tres voces ad gratiam habitualem, quod facile etiam fieri potest. Nam habitualis gratia, quatenus a solo Deo infunditur, et præcedit actus quos elicit, dici potest præveniens; quatenus vero simul est cum actibus quos elicit, et ad illos cum voluntate cooperatur, potest dici gratia comitans, quia liberum arbitrium in operando comitatur. Eadem vero gratia, vel quoad infusionem, ratione dispositionis præcedentis, vel quoad suum augmentum, quia datur ex merito de condigno, gratia subsequens dici potest. Hæc vero solum est accommodatio quædam per se probabilis, quamvis Augustinus nihil de illa tractaverit.

CAPUT XXIV.

QUOMODO GRATIA PRÆVENIENS, COMITANS ET SUBSEQUENS, AD OPERANTEM ET COOPERANTEM GRATIAM COMPARENTUR.

1. *Questio an gratia cooperans sit unquam*

præveniens ratione consensus liberi. — Quæstio hæc, in sententia quam sequimur, nullam novam difficultatem habet. Diximus enim gratiam excitantem et adjuvantem cum operante et cooperante respective converti. Unde necesse est ut eandem proportionem seu habitudinem servent ad prævenientem, comitantem et subsequentem. Quia vero moderni quidam aliter sentiunt, saltem de cooperante gratia, pauca de illa dicere necessarium existimavimus. Est ergo hoc tempore quorundam Theologorum sententia affirmans, non solum operantem gratiam, sed etiam cooperantem, esse prævenientem, et non simultaneam, seu comitantem, vel forte etiam subsequentem. Ut autem intelligatur hujus sententiæ sensus, advertendum est non distinguere prævenientem et subsequentem gratiam per comparisonem ad alias gratias, sed per comparisonem ad efficientiam et influxum liberi arbitrii. Nam priori modo forte non negarent hi Doctores posse cooperantem gratiam esse subsequentem, cum etiam gratia operans, imo et excitans (quæ secundum illos est distincta ab operante, et prior illa), possit esse subsequens ad priorem gratiam, imo et ad aliquod meritum, quando non est prima in suo ordine, sed aliam supponit, ut ostensum est. Loquuntur ergo per comparisonem ad influxum liberi arbitrii cum ipsamet gratia, et sic supponunt gratiam operantem semper esse prævenientem, de qua nulla est controversia. Nam licet non eandem gratiam nomine operantis intelligamus omnes (nos enim excitantem intelligimus, illi vero prædeterminantem physice), nihilominus qualiscumque sit, si est gratia operans, sine dubio præcedit, ordine naturæ seu causalitatis, consensum liberi arbitrii, quia est causa ejus; ergo de gratia cooperante difficultas superest.

2. *Quod etiam de gratia physice cooperante intelligunt Alvarez, Medina.* — Probatur primo, ex Scripturis. — Secundo, ex Patribus. — Addunt enim etiam gratiam physice cooperantem, in quantum cooperantem, esse prævenientem. Ita tenet P. Alvarez, et solum citat pro sua sententia Medinam 1. 2, quæst. 111, art. 2, de cujus sententia infra dicam. Probatur autem hæc sententia, primo ex illo Pauli ad Philip. 2: *Deus est qui operatur in nobis velle et perficere*, et Isaia 26: *Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine*; quæ testimonia sine alia inductione proponuntur. Secundo, ex Gelasio Papa, epist. 7, ad universos Episcopos per Picenum, circa finem dicente: *Quis autem au-*

deat dicere Christianus, aliquid habere boni sine gratia? quando magister gentium clamat, cuncta breviter in se bona concludens: Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit, ut ostendret quia donum gratiæ non ipse præcessit, sed fuerit subsecutus, atque monstraret cooperationem se esse gratiæ subsequendo; sed plus omnibus, inquit, laboraci. Ac rursus veritus ne de se præsumere videretur, adjungit: Non ego, sed gratia Dei mecum. Non dixit: Ego, et gratia Dei mecum, sed præposuit gratiam præcedentem se, atque subjungit. Si ergo liberum arbitrium subsequitur, gratia profecto antecedit cooperando eidem libero arbitrio, quia non potest arbitrium cooperando subsequi, nisi gratia cooperando antecedit.

3. Tertio, ex Tridentino.—Quarto, ex Prospero.—Tertio, probatur ex Tridentino, sessione 6, canone 4, definiente: Si quis dixerit liberum arbitrium a Deo motum, excitatum, nihil operari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, anathema sit. Nam si arbitrium cooperatur motum, præcedit motio; ergo præcedit gratia cooperans. Probatur hæc ultima consequentia, quia illa motio non fit per solam gratiam excitantem, sed etiam per cooperantem et adjuvantem. Unde idem Concilium, capite 5, non obscure significat etiam adjuvantem esse prævenientem, cum tamen adjuvans gratia sit etiam cooperans. Quarto, additur Prospero in epistola ad Augustinum, ubi gratiam cooperantem, præoperantem appellat, quia est præveniens. Et adjunguntur Patres qui impugnarunt Faustum Rhegiensem, quia non admittebat gratiam cooperantem præviam, sed comitem, et illi primas partes tribuebat. Ergo, ex sententia Patrum, necesse est gratiam concomitantem præviam admittere.

4. Quinto, ex sancto Thoma.—Quinto, allegatur D. Thom. 1. 2, q. 111, a. 2, quia dicit: In illo effectu in quo mens nostra et movet et movetur, operatio non solum attribuitur Deo, sed etiam animæ, et secundum hoc dicitur gratia cooperans. Ex quibus verbis colligunt liberum arbitrium in eo effectu, qui gratiæ cooperanti attribuitur, moveri a Deo, et movere seipsum; ergo gratia cooperans, in quantum cooperans, movet liberum arbitrium, et simul cum illo liberam operationem producit; ergo gratia cooperans, ut sic, præcedit ordine naturæ, et sic est præveniens, quia omne movens præcedit ordine naturæ motum suum.

5. Sexto, ratione multiplici.—Sexto, ad-

duntur rationes. Prima, quia opus meritorium est effectus gratiæ cooperantis; sed in omni opere meritorio mens nostra movetur physice a Deo, juxta id ad Roman. 8: Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei, moventur enim ut agant, ut sæpe exponit Augustinus; ergo præcedit motio Dei qua aguntur; ergo præcedit gratia cooperans physice, quia non solum moraliter, sed etiam physice aguntur. Secunda ratio, quia liberum arbitrium et gratia cooperans, seu Deus per illam, non cooperantur ut duæ causæ partiales, sed ut totales, unaquæque in suo genere; ergo gratia cooperans præcedit ordine causalitatis cooperationem liberi arbitrii. Probatur consequentia, quia si non sunt causæ partiales, sed totales, una pendet essentialiter ab alia, tanquam a superiori: at ubi est dependentia, est ordo naturæ; ergo causa superior, scilicet Deus, vel gratia, ordine naturæ præcedit in cooperando.

6. Rejicitur hæc sententia, et ejus sensus magis explicatur.—Hanc sententiam censeo esse falsam: ut autem sensus ejus recte intelligatur, et sine confusione vel æquivocatione impugnetur, supponere imprimis oportet dictos auctores, præter omnes gratias excitantes et adjuvantes a nobis explicatas, addere quamdam actualem gratiam, realiter distinctam ab omnibus actibus elicitis a nostris potentiis, sive sint motus indeliberati excitantis gratiæ, sive actus liberi arbitrii meritorii, seu pietatis, quam gratiam vocant motionem virtuosam, et hanc ipsam gratiam subdistingunt vel re, vel munere. Unam dicunt præcedere ante motus gratiæ excitantis tanquam principium illorum, de quo puncto jam supra dictum est: aliam dicunt subsequi post motus gratiæ excitantis, ut determinet efficaciter voluntatem ad actus liberos, et sit suo modo causa per se efficiens, et faciens facere consensum, quo liberum arbitrium gratiæ excitanti respondet. Huic ergo gratiæ duo munera tribuunt, unum est movere voluntatem per seipsam, quasi formaliter, ita ut in ea motione voluntas mere passive se habeat talem motionem recipiendo; et ut sic dicunt esse gratiam operantem, ac prævenientem, de quo nunc questionem directe non movemus. Aliud est efficere cum voluntate actum liberum, et sic dicunt illam esse gratiam cooperantem, et nihilominus sub hac ratione dicunt etiam esse gratiam prævenientem, et prius natura operantem quam voluntatem, et de hoc ultimo puncto est nunc principalis controversia. Ut autem melius nostram sententiam explicemus,

tam de hac gratia quam de omni vere cooperante breviter dicemus.

7. Prima conclusio.—Nulla datur gratia actualis physice præmovens.—Dico ergo primo nullam dari actualem gratiam physice præmovenem, determinantem, vel cooperantem cum voluntate ad actus pietatis. Hæc assertio tangit totam materiam de concursu prævio, in sequentibus capitibus disputandam, et de auxilio efficaci, lib. 5 tractandam, et ideo ne pervertamus ordinem, et confundamus dispositionem, a proluxa ejus probatione abstinemus, sed eam tantum supponimus, ut jam prævenientem gratiam in nostra sententia explicemus. Probatur autem breviter, quia illa gratia, neque necessaria est per modum prævii concursus necessarii ex parte causæ primæ, neque per modum specialis auxilii necessarii ex parte causæ secundæ; ergo nullo modo. Consequentia est evidens ex sufficienti partitione. Prima vero pars antecedentis probabitur in discursu hujus libri, ac tandem concludetur in capite ultimo. Nunc vero addo, licet ille prævius concursus esset necessarius, non esse illam gratiam operantem, vel cooperantem, de qua Patres loquuntur; quia Patres tractant de gratia quæ se teneat ex parte causæ secundæ, et juvet illam, et det illi vires efficacissimas, ut loquitur Augustinus. Nec requirunt illam gratiam propter dependentiam causæ secundæ a prima, sed propter infirmitatem naturæ lapsæ ad operandum quodcumque bonum, vel propter imbecillitatem naturæ secundum se ad opera gratiæ cooperantis; et ideo etiam talem modum operationis Dei requirunt, qui actibus malis vel non bonis communis non sit. Gratia ergo præveniens, sive operans, sive cooperans non requiritur ex generali ratione concursus primæ causæ, ideoque ad illum non pertinet, sive ille detur prævius, sive non detur. Altera vero pars antecedentis patet, quia si talis gratia esset necessaria ex parte voluntatis, ut causa secunda est, daret illi posse operari, quod neque verum est, nec ab illis auctoribus conceditur. Sequela autem patet, quia daret illi virtutem et vires necessarias ad agendum; hoc autem est necessitas principii dantis potestatem agendi; sed de hoc puncto hæc nunc satis.

8. Secunda conclusio.—Si talis gratia admitteretur, non posset dici præveniens, ut cooperans est.—Dico secundo, etiamsi talis gratia admittatur, nihilominus non potest dici præveniens sub illa reduplicatione: Quatenus cooperans est. Probatur primo, quia illa

gratia est simul operans, et cooperans, ut ipse Alvarez supponit disputatione antecedenti 81, ubi in 2 conclusione ait gratiam operantem physice esse realiter distinctam a gratia excitante; imo etiam præoperantem illam vocat, quia prædeterminat voluntatem. Et deinde addit, num. 9, hanc gratiam physice operantem non esse distinctam realiter a gratia cooperante physice, ex sententia D. Thom. 1. 2, q. 111, art. 2, ad 4. Hinc ergo argumentamur, quia illa gratia physice determinans voluntatem (si datur), ut est operans est præveniens; ergo, ut est cooperans, non est præveniens, sed comitans voluntatem cooperantem. Antecedens certissimum est in illa sententia, quia illa gratia a solo Deo fit in nobis sine nobis, et per eam Deus solus operatur determinando voluntatem, et faciendo efficaciter ut consentiat: at vero totum hoc antecedit, ordine naturæ et causalitatis, influxum liberum voluntatis; ergo talis gratia secundum illam rationem operans est. Hinc ergo probatur prior consequentia. Primo, quia inter infusionem illius gratiæ prædeterminantis, et influxum liberum nostræ voluntatis, non intercedunt duo instantia naturæ, seu causalitatis, in quibus illa gratia nostrum liberum consensum antecedit, sed unicum tantum, in quo gratia illa infunditur voluntati, et prædeterminat illam quasi in actu primo, prius natura quam operetur, et in secundo instanti naturæ statim sequitur operatio, neque medium instans cogitari potest, aut probabilis ratio illius reddi. At gratia illa prior natura est gratia præveniens, et non ut cooperans. Probatur consequentia, quia gratia præveniens est, quæ ordine naturæ antecedit influxum liberi arbitrii: sed gratia illa, ut cooperans, non antecedit sic; ergo non est præveniens. Probatur minor, quia illa gratia, ut cooperans, est posterior natura quam ut operans: sed in illo posteriori naturæ jam est influxus liberi arbitrii, quia gratia illa non præcedit liberum usum per duo instantia naturæ, sed per unum tantum; ergo gratia illa, ut cooperans, est simul natura cum usu liberi arbitrii, ac proinde non potest esse præveniens.

9. Secundo, probatur ex causalitate quam habebit hæc gratia.—Secundo idem convincitur, quia gratia illa duplicem habere potest causalitatem, una est formalis, altera effectiva: sub priori est tantum gratia operans, et antecedit usum libertatis: sub posteriori autem est cooperans, et non sic antecedit; ergo